

TEXT. XXIX.

Quando algun hijo, ò hija viniere à heredar, ò partir los bienes de su padre, ò de su madre, ò de sus ascendientes, sean obligados ellos, y sus herederos à traer à colacion y particion la dote, y donacion propter nuptias, y las otras donaciones, que ovieren recibido de aquel cuyos bienes vienen à heredar. Pero si se quisieren apartar de la herencia, que lo puedan hacer: salvo si la tal dote, ò donaciones fueren inoficiosas; que en este caso mandamos, que sean obligados los que las recibieron, ansi los hijos y descendientes en lo que toca à las donaciones, como las hijas y sus maridos en lo que toca à las dotes, puesto, que sea durante el matrimonio, à tornar à los otros herederos del Testador aquello en que son inoficiosas, para que lo partan entre sí. Y para se decir la tal dote inoficiosa, se mire à lo que excede de su Legitima, y Tercio y Quinto de mejoría, en caso que el que la dió podia hacer la dicha mejoría quando hizo la donacion, ò dió la dicha dote; habiendo consideracion al valor de los bienes del que dió, ò prometió la dicha dote, al tiempo que la dicha dote fue constituida ò mandada, ò al tiempo de la muerte del que dió la dicha dote, ò la prometió, do mas quisiere escoger aquel à quien fue la dicha dote prometida, ò mandada: Pero las otras donaciones, que se dieran à los hijos, mandamos, que para se decir inoficiosas, se haya consideracion à lo que los dichos bienes del Donador valieren al tiempo de su muerte.

Id est:

Quando filius quispiam aut filia venerit ad hereditatem, aut ad divisionem bonorum paternorum, aut maternorum, aut avorum, sint obligati ipsi & eorum heredes adferre in collationem & partitionem dotem, & donationem propter nuptias, aliasque donaciones, quas ab eo acceperint cujus bona in hereditatem capessunt. Verum si eis libuerit hereditati renuntiare, eis liceat nisi ejusmodi dos, aut donaciones fuerint inoficiosae; nam in eo casu praecipimus, ut qui eas receperint, tam filii & descendentes quantum ad donaciones, quam filiae & earum mariti quantum ad dotes concernit, etiamsi id fuerit durante conjugio, teneantur reddere caeteris heredibus testatoris id in quo fuerint inoficiosae, ut illud inter se dividant. Et ut ejusmodi dos dici possit inoficiosa, aestimetur, & respiciatur ad id

quod excedit Legitimam, & tertii & quinti augmentum, vel meliorationem, modo is qui dedit, potuerit facere ejusmodi augmentum, cum fecit praedictam donationem, aut dedit praedictam dotem, habito respectu ad aestimationem bonorum ejus qui dedit aut promissit praedictam dotem, cum ea fuit constituta aut legata, aut cum obiit is qui illam dedit aut promissit, prout ei cui promissa aut legata fuit magis libuerit. Aliae vero donaciones, quae filiis fuerint factae, praecipimus, quod ut dici possint inoficiosae, habeatur respectus ad aestimationem bonorum donatoris quo tempore obierit.

COMMENTARI II

Ad Legem XXIX.

SUMMARIUM.

- 1 Quibus modis accipiatur istud nomen collatio?
- 2 Quae sit ratio inductiva collationis?
- 3 Collatio an habeat locum ex testamento & ab intestato?
- 4 An teneantur filii conferre ea quae sunt relicta in testamento?
- 5 Si filii sint inaequaliter instituti, an ille qui in vita patris aliquid recepit, teneatur conferre?
- 6 Quae personae teneantur conferre?
- 7 Si avus dedit dotem, vel quid aliud nepoti, patre mortuo, an teneatur conferre?
- 8 Filius, vel filia, quae renuntiavit successioni patris, si postea instituat a patre, an teneatur conferre?
- 9 Inter ascendentes an habeat locum collatio?
- 10 Quae bona sint conferenda?
- 11 An omnia bona profectitia conferantur?
- 12 An donatio ob causam conferatur?
- 13 Dos, vel donatio propter nuptias an conferatur?
- 14 An illud, quod datur pro filia ingrediente in Religionem, conferendum sit?
- 15 Si pater donat & tradit aliquas vestes & ornamenta sponsae vel uxori filii, an filius teneatur conferre?
- 16 An expensae, quas pater vel mater fecit pro filio in studio, debeant conferri?
- 17 An libri conferantur?
- 18 An pater teneatur sumptus & expensas ministrare filio studere volenti, & possit pater ad hoc per filium compelli?
- 19 Si pater solvit aliquid pro filio, redimendo eum ab hostibus, an conferatur?

- 20 Si pater solvit pro filio poenam pecuniariam in qua est condemnatus, an conferat?
- 21 An militia, quam pater emit filio, debeat conferri?
- 22 Quando confertur aestimatio alicujus dignitatis, an debeat fieri aestimatio attento tempore mortis patris vel matris, vel attento tempore quo fuit quaesita dignitas?
- 23 Si est facta donatio à patre vel matre propter benemerita, an conferatur?
- 24 An lucrum, quod filius acquisivit de bonis parentum, debeat conferri?
- 25 Si filius non gessit negotia patris, nec aliquid acquisivit ex pecunia ejus, sed vivo patre surripuit, vel furatus est pecunias, an teneatur conferre?
- 26 Donatio simplex facta à patre an conferatur?
- 27 In casu quo ista donatio debeat conferri, ex eo quod pater dixit quod conferatur, an debeat dicere tempore factae donationis, vel ex intervallo?
- 28 An donatio simplex in dubio censeatur data pro Legitima?
- 29 Si pater remittat filio in potestate usumfructum bonorum adventitiorum, an teneatur filius fructus perceptos conferre?
- 30 Si donatio simplex prius computetur & conferatur in Legitima, an in residuo videatur filius melioratus, an verò tota donatio conferatur in Tertio & Quinto?
- 31 Quae requirantur ad hoc ut habeat locum collatio?
- 32 An ille qui non vult succedere, debeat conferre?
- 33 Si donatio est inoficiosa, an conferatur, licet filius vellet se abstinere ab hereditate?
- 34 Quid si pater dedit dotem immensam, quae excedit Legitimam, & 3. & 5. an teneatur conferre, licet vellet se abstinere ab hereditate?
- 35 Quod tempus debet inspicere ad hoc ut donatio vel dos data filio vel filiae dicatur inoficiosa?
- 36 Qualiter, & quibus remediis sit conferendum?
- 37 Jus conferendi an transeat ad heredes?
- 38 Quid sit computatio, & quibus casibus fiat?
- 39 Differentia inter collationem & computationem.
- 40 An donatio propter nuptias, vel dos, vel quid simile de sui natura computabile, computetur nepotibus in Legitima?
- 41 Si avus dedit dotem, vel donationem propter nuptias nepoti vel nepti vivente patre, an conferatur ab ipso suo patre, succedendo avo, patrique suo?

NOta singularem dispositionem hujus legis in isto Regno in materia collationum, quae subtilis & quotidiana est: quam magistraliter intendo tractare. Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione quaeram primò, quid sit collatio? Secundò, quae sit ratio inductiva collationis? Tertio, quae personae teneantur conferre, & quibus sit conferendum? Quarto, quae bona sint conferenda? Quintò, quae requirantur ad hoc ut habeat locum collatio? Sextò & ultimo, qualiter sit conferendum, & quibus remediis compellatur quis conferre?

Quoad primum dico, quod istud nomen collatio variis modis accipitur in jure nostro: Nam aliquando dicitur Beneficii Ecclesiastici assignato, ut in cap. fin. de Institutionib. Aliquando dicitur munerum publicorum impositio, ut in leg. Comperit. in fin. Cod. de Praescript. 30. vel 40. annor. & in leg. 1. Cod. de Episcop. & Cleric. & in Authentic. de Collatorib. collatione 9. & in leg. Quicumque. Cod. de Apochis public. lib. 10. & in leg. 1. de Collation. donator. eodem lib. 10. & in leg. 1. & per tot. Cod. de Collatione fundorum patrimonialium. & in leg. 1. & per tot. Cod. de Collatione fundorum fiscalium. Aliquando accipitur pro divisione librorum, ut in libro Authenticorum, qui est divisus in novem collationes. Aliquando accipitur pro contributione propriorum bonorum, & de ista loquitur materia nostra, & totus titulus, ff. de Collat. bonor. & Cod. de Collation. De collatione isto modo sumpta dico, quod Collatio est Rei propriae in commune latio, pro hereditariis portionibus dividenda: ita probat text. in leg. 1. ff. de Collat. bonor. ibi: Ut sua quoque bona in medium conferant, qui apertunt paterna. text. in leg. 3. §. Julianus. ibi: Nam si bona à patre relicta, & emancipatorum in medium conferantur, & ita viriles partes summantur, &c. text. in leg. Filiae dotem. Cod. de Collat. Cujus verba sunt: Filiae dotem in medium ita demum conferre coguntur. text. in leg. Si soror. eod. tit. ibi: Cum bonis dotem confundi jubebit. text. in leg. Illam. eodem tit. in fin. ibi: Ut commixtis hujusmodi collationibus cum bonis mortuae personae, duas quidem partes nepotes vel neptes habeant, &c. Et ideo dixi in definitione Rei propriae: quia si res esset testatoris vel defuncti, & communis heredum, non esset conferenda, sed dividenda, ut in leg. Filiae licet. Cod. de Collat. & in leg. Certum. Cod. Famil. erisc. cum similib. Item etiam quia bona aliena non conferuntur, ut in leg. Ea demum. Cod. de Collat. Et in expressò istam definitionem, licet sic non declaratam, ponit Glossa ordinaria in rub. ff. de Collat. bon. & ibi

ibi Alber. de Rosa, & communiter DD. antiqui, Azo. in *Summa Cod. de Collat.* 1. column. num. 1. Odofred. in *Rub. epd. tit.* & ibi Alexand. Jas. Philip. Dec. Curt. & Modern. Cyn. in *leg. Si emancipati. eod. tit.* 1. column. num. 4. & ibi Bart. 2. column. num. 2. Bald. pen. column. in *med. Salyc. 2. col. in fin.* Corn. 7. column. 13. Fulgos. 3. column. num. 4. Bart. in *leg. Pater filium. ff. de Collat. dotis.* 1. column. num. 1. Vital. Nemausens. in *tract. de Collat. in 6. vol. 1. column. num. 2.*

2. Quoad secundum, scilicet, quæ sit ratio inductiva collationis? Resolutivè dico, quod de jure antiquo ratio particularis & primordialis erat, quia de illo jure filius emancipatus non succedebat patri cum filio suo & in potestate; & postea de jure prætorio inductum fuit, ut pariter succederent, nulla inter eos facta differentia: & ex hoc resultabat maximum inconveniens & præjudicium filio in potestate, quia emancipatus auferebat sibi partem successionis, item etiam quicquid ipse acquireret sibi quærebat, similiter etiam donatio sibi facta à patre statim valebat, & sibi quærebat; filius autem suus & in potestate nihil sibi acquirere poterat, sed patri; & donatio sibi facta à patre non valebat: & sic filius emancipatus in successione patris erat melioris conditionis quàm filius suus & in potestate, cum habebat præcipua bona quæ ipse acquirerebat, & bona sibi donata per patrem; filius verò suus & in potestate, non: Unde, in recompensam hujus injuriæ, & præjudicii, quod jus prætorium fecit filiis in potestate, statuit & decrevit ut solus emancipatus teneretur conferre filiis in potestate ea, quæ sibi non acquireret, si emancipatus non esset.

Hodiè tamen, cum uterque filius æqualiter succedat, ut in *leg. Meminimus. Cod. de Legit. hæred. & in Authentic. de Hæred. ab intest. venien. cap. 1. & in cap. Nullam verò. collat. 9. & in Authentic. In successione. Cod. de Suis & legitim. liber. (A) Ratio vera, universalis, & inductiva collationis est propter æqualitatem inter fratres servandam, & invidiam & discordiam inter eos evitandam: argumentum text. in *leg. Ut liberis. Cod. de Collat. text. in leg. Illud. eodem tit. text. in leg. fin. Cod. Commun. utriusque Judic.* Confirmatur, quia lex positiva in tantum justior, & æquior est, in quantum se conformat cum lege divina, vel naturali, ut dicit Sanct. Thom. 1. 2. 95. *quæst. artic. 2.* Sed de jure divino & naturali æqualiter defertur successio filiis, ut in *Epistola Paul. ibi: Si filius ergo hæres.**

& *Levit. cap. 25. prope fine & in leg. Inter filios Cod. Famil. erisc. & in leg. Cum ratio. ff. de Bonis damnator. & in leg. Scripto. versic. fin. ff. Unde liber. ergo merito inducitur collatio, ut ista æqualitas inter eos servetur, & reducatur ad debitam successionem de jure divino & naturali. Confirmatur etiam autoritate Philosophi, 7. ethicorum dicentis, quod filii sunt æqualiter pars suorum parentum: ergo jure naturæ debent esse æquales in successione bonorum. Rursus confirmatur, quia omnes filii repræsentant personam patris, & ejus persona & memoria per eos quodammodo conservatur & perpetuatur: text. est in *leg. Liberatorum. in fin. ff. de Verborum signific. text. in leg. Lege 12. Tabularum. Cod. de Legit. hæred. text. in leg. fin. in fin. Cod. de Impub. & aliis. text. in Authentic. de Nuptiis. in princip. collat. 4. ergo merito lex positiva in quantum potest debet eos reducere ad æqualem successionem bonorum patris: Et in effectu istam rationem, licet certè non sic fundatam nec confirmatam, ponit Azo. in *Summ. Cod. de Collationib. column. 2. num. 2. Bart. in leg. Pater filium. ff. de Collation. dotis. column. 1. num. 2. idem Bart. in leg. Si emancipati. Cod. de Collat. 2. col. num. 3. & ibi Cyn. column. & quæst. 2. Fulgos. col. 3. num. 4. & communiter DD. Bald. in rubr. ejusdem tit. & ibi notabiliter Paul. de Castr. Jas. Philipp. Dec. Francisc. Curt. & communiter Modern. Alexand. in *leg. 1. ejusdem tit. Vitalis Nemausens. in dict. suo tract. de Collat. 2. col. num. 5. Et istam rationem ponit lex 4. tit. 15. partit. 6. Nec alicui videatur levis & parum urgens ista ratio invidiæ & discordiæ evitandæ: quia imò est fortissima & urgentissima, cum tot mala inter homines, & maximè inter fratres producat, ut autoritate & exemplis Sacræ paginæ comprehendere potest, ut patet *Genes. capit. 4.* ubi habetur, quod propter invidiam Cain unum fratrem Abèl interfecit: Fratres enim erant & filii Adam & Evæ, Cain Agricola, & Abèl Pastor ovium: Cain obtulit Domino de fructibus terræ, Abèl verò de primogenitis gregis sui; & respexit Dominus ad Abèl & munera ejus, non verò ad Cain nec ad munera ejus. Iratusque est Cain vehementer, dixitque ad Abèl, egrediamur foras; eumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abèl, & interfecit eum: & ait Dominus Cain, ubi est Abèl frater tuus? qui respondit, nescio, numquid custos fratris mei ego sum? Dixitque ad eum, quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris super terram. Item etiam propter invidiam fratres Joseph eum interfice-****

re

re decreverunt, (licet postea non fecerunt, sed venderunt Ismaëlitis 20. argenteis,) tum propter benevolentiam quam pater Jacob erga eum ostendebat, tum etiam quia eis somnium quod viderat declarabat; in quo ipsi fratres intellexerunt, quod eis ditior atque superior futurus esset: ut patet *Genes. 37. cap.* ubi dicitur: Quod videntes fratres ejus à patre plus diligi, oderunt eum, & dixerunt: venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam, & dicemus quod fera pessima devoravit eum. Audiens autem hoc Ruben nitentur liberare eum, & dicebat, non interficiamus, sed projicite in cisternam: & sic fecerunt, & confestim viderunt Ismaëlitas viatores de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stactem in Ægyptum, & extrahentes de cisterna vendiderunt eis pro dictis 20. argenteis. Item etiam propter invidiam facta fuit contentio inter Discipulos Domini, quis eorum esset major? ut habetur *Lucæ cap. 22.* Item etiam, cum mater filiorum Zebedæi petiisset à Christo, ut unus ex filiis ejus sederet ad dexteram, & alius ad sinistram: audientes alii decem Discipuli indignati sunt de duobus fratribus, ut habetur *Matth. 20. cap.*

Item etiam in confirmationem faciunt ea quæ de invidia tradit & commutat Beatus Augustinus in *sermone 18. ad fratres in Eremito*, dicens: Fratres mei desideratissimi nolite invicem invidere, sed studeat unusquisque Deo in cunctis placere: invidia enim omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat. Attendite, quod ille invidus est, qui alienum bonum suum facit; & si facere non potest, clamat per vicos & plateas, & velut canis latrat, & ardet; sed primò seipsum more Phœnicis occidit: Quid enim agit Phœnix? nisi quia dum senescit ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eo se comburi permittit; ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum Phœnix alius efficitur: sic hypocrita facit, sic & invidus agit, cunctis diebus vitæ suæ intus & extrà seipsum comburens, seipsum infestans, seipsum vulnerans & vexans. O invide, quàm paucos habeas amicos! & forsitan neminem, de cujus bono non doleas, & de cujus malo non gaudeas! merito omni amico privari debes, eo quod de nullo amicorum bono gaudere probaris. O invidia, omni vitio peior, & omni peste deterior! O invide, qui nunquam quiescere potes! an ignoras quod omnis malitia habet aliquam felicitatis umbram? sed tu ipsa invidia nequissima pestis tormentum sine refrigerio, morbum sine remedio, laborem sine respiracione, panam sine Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

intermissione, famem sine saturitate semper habere videris. O invide, vermis mortifere, qui in hœdera Jonæ quotidie nasceris! O ignee serpens, quo Populus Israël pungitur. Hic est enim, fratres, bruchus, qui fructus terrarum depascitur: ipsa enim invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramentum virtutum demolitur, ærugo, quæ thesaurum sapientiæ deprædatur, bruchus, qui terrarum virentia comburit; quia quicquid boni operis virentia in homine, penè pestis invidia perdit: Hæc est quæ Angelos de Cælo projecit, quæ hominem à Paradiso exulare compellit, quæ filios Israël in deserto percussit: quæ contra Joseph fratres armavit, quæ Daniele in lacum Leonum misit, quæ caput nostrum Cruci affixit, quæ Judam suspendi fecit.

Item invidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, tertiam linguam multiplicat, justitiam disperdit, & omnia mala generat. Hæc est quæ Abèl occidit, Adam oneravit, Pastorem suspendit, Petrum jugulavit, dum Christum negavit, Paulum decollavit, & Joannem, Stephanum lapidavit, Goliath prostravit, David deceptit, muros Jerusalem evertit, Romanam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit. Hæc omnia B. Augustinus ubi supra.

3. Quod extendè, ut producat & habeat locum modò filii succedant patri ab intestato, modò ex testamento: quia licet de jure antiquo solum ab intestato haberet locum collatio, ut in *leg. 1. 2. & quasi per totum. Cod. de Collationib.* tamen hodiè etiam habet locum ex testamento, nisi pater contrarium exprimat: text. est in *Authentic. Ex testamento. Cod. de Collationib.* Cujus verba sunt: Ex testamento & ab intestato cessat dotis & aliorum datorum collatio, ita demum si parens hoc designavit expressim, &c. text. in *Authentic. de Triente & semisse. cap. Illud. quoque. collat. 3.* quod probat argumentum à contrario sensu, quod est validissimum in jure, ut in *leg. 1. §. Hujus rei. ff. de Officio ejus cui mandat est jurisdicti. cum similib.* nisi resultet absonus intellectus, vel legum correctio, ut in *leg. 2. Cod. de Condition. insert. & in leg. Conventicula. Cod. de Episc. & Cleric.* nisi aliàs lex nova nihil disponderet, ut in *dict. Authentic. Ex testamento. Cod. de Collationib.* secundum Modernos ibi.

Sed advertendum, quod contra hoc & totam materiam se offert pulchra & necessaria difficultas: Nam pater habet liberam facultatem & arbitrium inter vivos, vel in ultima voluntate relinquendi filio ex suis bonis quicquid vult, imò & cuilibet extraneo; dum tamen non tangat Legitimam aliorum: text. est in *leg. Cum*

T

que-

(A) Vide Aceved. in *leg. 3. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num. 16.*

quæritur. *Cod. de Inoffic. testament. text. est in leg. Parentib. eod. tit. text. in Authentic. Unde & si parens. eod. tit. text. in leg. 1. 2. & per tot. Cod. de Inoffic. Donationib. text. in leg. Filia cuius. Cod. Famil. ercisc.* Ergo filius qui donationem vel liberalitatem recepit, non tenetur eam conferre, sed habet præcipuam; cum videatur à patre in ea melioratus. Sed resolutivè respondeo, quòd illud est verum & procedit, quando constat de voluntate patris expressè, vel tacitè per aliquas vehementes & verisimiles conjecturas, de quibus infra dicitur, quòd voluit liberè donare, gratificare, & meliorare: securò verò aliàs in casu dubio; quia tunc tenetur conferre, quia potiùs videtur pater anticipare debiti solutionem, & velle compensare cum Legitima & debita successione, quàm liberè donare & meliorare: Et ita procedant jura quæ iuducunt collationem. Confirmatur etiam per text. cum materia, in *Authentic. Præterea. Cod. Unde vir & uxor. & in leg. Si cum dotem. §. Si pater. ff. Solut. matrimon. & ibi latè DD. ubi habetur, quòd legatum relictum creditori semper videtur relictum animo compensandi cum debito necessario proveniente ex legis dispositione, nisi aliud constet de voluntate disponentis.*

4 Intelligo tamen, quòd prædicti filii succedentes ex testamento tenentur conferre donata & habita à patre in vita: non verò ea quæ sunt sibi relicta in testamento; quia illa non conferuntur, sed habentur præcipua, ut in *leg. A patre. Cod. de Collationib. & in leg. Filiam. la. 2. eod. tit.* & iste est verus sensus & intellectus prædictorum jurium; & in specie ita declarat Paul. de Castr. in *leg. 1. Cod. de Collationib.* & Philip. Dec. in *Authentic. ex testamento. eod. tit. in princip. (b)*

5 Item etiam est alia non minùs pulchra quàm subtilis difficultas; nam prædicta clarè procedunt: quando filii sunt instituti simpliciter, vel æqualiter. Sed quid si inæqualiter sunt instituti; an ille qui in vita patris aliquid recepit, teneatur conferre? Et videtur quòd non: quia jam constat & apparet de intentione & voluntate patris, quòd non voluit inter eos æqualitatem servare, & cessat ratio fundamentalis inductiva collationis. Quod magis specificè pro-

bo: quia aut filius, qui aliquid in vita à patre recepit, est institutus in maiore parte & portione quàm alii; & apertè & verisimiliter videtur, quòd plus illum dilexit, & voluit cæteris præferre, & in bonis suis meliorate: ergo evidenter colligitur, quòd donata in vita voluit liberè concedere, & donare, & in eis meliorare; & per consequens non teneatur conferre: Aut filius fuit in minori parte & portione institutus quàm alii; & tunc apertè etiam & verisimiliter videtur, & colligitur ex mente & intentione patris, habere respectum ad id quod in vita donavit, & velle illud compensare, & idèd minorem partem in testamento relinquere; & per consequens velle quòd teneatur conferre. Sed resolutivè respondeo, quòd etiam his casibus filius teneatur conferre, per prædicta jura *Authentic.* quæ simpliciter & indistinctè loquuntur, & disponunt quòd ex testamento filius teneatur conferre. Nec obstat superior consideratio & difficultas: Quia pater benè voluit in æqualitatem servare inter filios in ipso testamento & institutione; non verò in bonis & rebus donatis in ejus vita: & æqualitas inter fratres servanda, quam jura attendunt, debet intelligi tantùm quoad ipsa donata in vita, ut illa teneatur uterque filius ad invicem conferre; non quoad relicta in testamento vel ultimà voluntate, nec quoad hoc ut in portionibus quæ conferuntur sit æqualitas. Et certè est singularis & necessaria declaratio in materia: & in expressò ita tenet Ludovic. Roman. licèt non ita fundet nec declaret, in *leg. Si emancipati. Cod. de Collat. 2. column. num. 9. & ibi Fulgos. 5. column. num. 9. Philip. Dec. in dict. Authentic. eod. tit. fin. column. & quæst.*

Unum tamen est, quòd omnia prædicta debent intelligi, quando filius succedit ex testamento vel ab intestato titulo universali tamquam hæres: secùs verò si succedat titulo particulari; ut quia sit institutus in aliqua re certa, aliis fratribus hæredibus institutis universaliter; vel ei legatum sit relictum, quod vult acceptare; vel si ab intestato decedat pater, & in codicillis vel qualibet dispositione legatum ei relinquit: quia hoc casu non tenetur filius conferre sibi donata à patre in ejus vita; quia non succedit titulo universali, sed particulari, & ca-

(b) Vide extra communem sententiam relatam à Rip. in *leg. 4. num. 144. ff. Ad leg. Falcid.* ubi Pic. num. 66. citat, Carolum Rum num. 18. & 23. Menchac. de *Success. creat.* §. 30. num. 161. qui contrarium tenet, imò quòd non computatur in Legitimam: Carras. in *leg. Filium quem habentem. num. 107. in ultim. part. Cod. Famil. erciscund.* Covarrub. qui communem sequitur, in *cap. Reynald. §. 2. de Testament. num. 6. & vide de hac communi latè Matienz. in leg. 3. tit. 8. lib. 5. Recopil. glossa. num. 7.*

capit sicut extraneus: textus est in *leg. Si pater pro filia. ff. de Collat. dotis. text. in leg. A patre. Cod. de Collationib.* Cujus verba sunt: *A patre verbis præcariis in codicillis relictum, extero jure capiens filia, ad collationem dotis urgeri non potest, text. in leg. Ex causa. Cod. Famil. ercisc.* & in expressò istam sententiam & conclusionem tamquam summè necessariam in materia tenet Alberic. de Rosa in *leg. Emancipati. Cod. de Collationib. 1. column. in fin. & ibi Jas. penult. col. num. 95. Bald. in dict. leg. A patre. Cod. de Collationib.* & ibi Angel. Paul. Roman. Alexand. Fulgos. Corn. Jas. & Lancellot. Dec. idèd Bald. ubi valde commendat, in *dict. leg. Ex causa. Cod. Famil. ercisc.* & ibi Angel. Paul. & communiter Doctores.

Ex quo subtiliter posset quæri: Si filii sunt instituti in diversis rebus certis, (qui habentur pro universaliter institutis, & quales partes debent habere, licèt res sint diversi valoris, ut in *leg. Quoties. §. Si duo. ff. de Hæred. instit. & traditur plenè in leg. 1. §. Si ex fundo. eod. tit.*) an tunc ille, qui in vita aliquid à patre recepit, teneatur conferre? Et videtur quòd non: quia ex ipsa vera & propria institutione defuncti sunt particulares successores in certis rebus; unde, licèt juris fictione & dispositione videantur instituti universaliter, tamen illud est verum quoad alia bona hæreditaria dividenda, non verò quoad inducendam collationem in rebus in vita donatis. Sed hoc non obstante, ego teneo contrarium, imò quòd teneatur conferre; quia jam succedunt filii universaliter, & in omnibus & per omnia habentur pro universalibus hæredibus quoad extrinsecos effectus, licèt quoad ipsam rem videntur legatarii: argumento text. cum materia in *dict. leg. 1. §. Si ex fundo. ff. de Hæred. instit. & in dict. leg. Quoties. §. Si duo. eod. tit. & in leg. Quoties. Cod. eod. tit. & utrobique Bart. & communiter Doctores.*

6 Quoad tertium: scilicet, quæ personæ teneantur conferre, & quibus sit conferendum? Dico, ponendo regulam & conclusionem generalem, quòd omnes descendentes, quibus ab intestato debetur Legitima, conferunt inter se, succedendo ascendentibus, nulla differentia facta sexus, gradus, emancipationis, vel patriæ potestatis; & nulla alia persona teneatur conferre, ut infra clarissimè apparebit: text. est capitalis & expressus in *leg. Ut liberis. Cod. de Collationib.* Cujus verba sunt: *Ut liberis, tam masculini quam femerini sexus, sive juris sui, vel in potestate constitutis, quocumque jure intestatæ successionis æqua lance parique modo prospici possit, &c.* Text. in *leg. Illud. §. fin. ff. eod. tit. & in ex-* Anton. Gomez. ad *Leg. Taur.*

pressò istam regulam & conclusionem ponit Bald. in *leg. Si emancipati. Cod. de Collationib. 2. column. in fin. versic. Item potest notare, & ibi Paul. de Castr. 2. col. num. 2. dicens perpetuò mente tenendam, quia illuminat totam materiam collationum: Philipp. Dec. 6. column. numer. 9. qui reputat singularem.*

Ex quo primò infero, quòd filius suus & in potestate confert filio suo & in potestate. Secundò infero, quòd filius suus & in potestate confert emancipato. Tertio infero, quòd filius emancipatus confert filio suo & in potestate. Quarto infero, quòd filius emancipatus confert filio emancipato, licèt de jure antiquo contrarium esset dispositum, ut in *leg. Si emancipati. eod. tit.* Quintò inferò, quòd filius nec suus nec emancipatus, descendens ex linea materna, confert alteri filio vel descendenti ex ea, quando de ejus successione tractatur. Sextò infero, quòd filius adoptatus ab avo, proavo, vel alio ascendente; cum efficiatur suus & in potestate ejus ab intestato & ex testamento, & sibi debeatur Legitima: vel adoptatus ab extraneo; cum efficiatur tantùm suus ab intestato, ut in *leg. Cum in adoptivis. Cod. de Adoption. confert: Ita probat textus in leg. 1. §. Is quoque. ff. de Collat. bonor. textus in leg. 2. ff. de Collat. dotis, & tenet Bart. in leg. Pater filium. eod. tit. de Collat. dotis, 2. column. in fin. Paul. de Castr. in *leg. Si emancipati. propè finem. Cod. de Collat.* Confirmatur, quia filius adoptivus quoad omnia habetur ut filius legitimus, & naturalis, & habet eadem jura: text. est in *§. Adoptiv. Instit. de Exhæred. liber.* Cujus verba sunt: *Adoptivi liberi, quando sunt in potestate patris adoptivi, ejusdem juris habentur, cujus juris sunt ex justis nuptiis procreati.**

Septimò infero, quòd filius legitimatus confert, quia est filius & descendens, & debetur ei Legitima; & efficitur suus: ita probat text. in *Authentic. Quib. mod. natur. eff. sui in rubr. & in toto titulo, maxime in cap. Et quoniam variè, textus in Authentic. Quib. mod. natur. eff. legitimi. cap. Sit igitur licentia, textus in §. Minus. Institut. de Hæred. quæ ab intestat. defert. textus in Authentic. de Incest. nupt. cap. Dubitatum, collat. 2. textus in leg. Cum quis, in fin. Cod. de Natur. liber. Et in expressò quòd efficiatur suus tenet Bald. in *leg. Eam quam. Cod. de Fideicommiss. 1. column. in fin. quod dictum reputat unicum & singulare Jason. in leg. Qui se patris. Cod. Unde lib. 4. col. & in leg. 2. ff. de Vulgar. & pupil. 4. col. num. 20. Ex quo etiam inferitur, quòd transmittet, & potest institui coram duobus testibus, ut in *leg. Hac consultissima. §. Ex impar-***

fecto, Cod. de Testam. ita Bald. in cap. De causis, fin. col. de Offic. delegat. quod est singulare, & non alibi secundum Jas. in dict. leg. 2. de Vulgar. & pupil.

Octavo infero, quod si avus dedit dotem, vel donationem propter nuptias, vel quid aliud de sua natura conferibile filio, vel filia, & talis filius vel filia decedat in vita patris; nepos vel neptis, vel nepotes vel neptes ex eo, vel ea, tenentur conferre, succedendo ipsi avo cum patruis, vel avunculis, amitis, vel materteris, vel cum aliis nepotibus ex altero filio vel filia, sicut pater vel mater eorum defunctus vel defuncta tenebatur conferre: & similiter e contra alii conferunt eis, sicut patri vel matri eorum prædefunctis erat conferendum. Cujus ratio est, quia cum tales nepotes succedant representativè loco & portione parentum defunctorum, meritò conferunt, & est eis conferendum: text est in leg. Si nepotes, ff. de Collat. bonor. text. capitalis & expressus in leg. Illam, versic. Talem, Cod. de Collat. Cujus verba sunt: Talem igitur subtilem disputationem amputantes, præcipimus, tam filios vel filias defunctæ personæ dotem, & ante nuptias donationem à parentibus suis sibi datam conferre nepotibus mortuæ personæ; quàm eosdem nepotes vel neptes patruis suis aut avunculis, amitis etiam & materteris dotem, vel ante nuptias donationem patris sui, vel matris, quam pro eo vel ea mortua persona dedit, similiter conferre. Confirmatur, quia jus collationis tam activè quàm passivè transmittitur ad hæredes, ut infra dicitur fin. quæst.

7. Nonò infero, quod si avus dedit dotem, vel donationem propter nuptias, vel quid aliud de sui natura conferibile nepoti vel nepti, patre jam mortuo, indistinctè tenentur conferre, modò succedat cum patruis vel avunculis, amitis vel materteris, modò cum aliis nepotibus ex alio filio mortuo: quia ei debetur Legitima, & jam videtur avus dedisse ex causa & ratione successionis, quam sperabat in bonis avi, licèt debeat succedere representativè ex persona patris prædefuncti: ita probat text. in leg. Quoniam novella, Cod. de Inoffic. testam. & ibi communiter DD. text. in leg. Ut liberis, Cod. de Collationib. Quod est verum & procedit, nedum quando est unicus nepos vel neptis ex filio vel filia mortua, qui, vel quæ dotem vel donationem recepit; verùm etiam si plures: quia semper omnes succedunt representativè loco filii vel filia prædefunctæ, sed postea inter eosdem fratres confertur ab ipso recipiente. Et in effectu ita tenet Glossa ordinaria in leg. Illam, Cod. de Collationib. in verb. Mortua, quæ sic debet intelligi; & ibi tenent Cyn. Alber. Bald. An-

gel. Rom. Paul. Alexand. & Jas. & in effectu ita tenet Bart. & in hac debet resolvi sua distinctio, in leg. Si emancipati, eod. tit. 3. col. num. 6. Idem Bart. in leg. 1. §. Si sit, ff. de Collat. dotis.

Decimò infero, quod si pater instituat filium, & nepotem vel nepotes ex eo, quod inter eos non habet locum collatio; cum nepoti vel nepotibus non debeatur Legitima filio præcedente; sed succedant tamquam extranei: Similiter etiam inter eosdem nepotes non habet locum collatio, si uni in vita donavit plusquam alteri. Unde, si fortè pater instituat filium in sua Legitima, & nepotes ex eo universaliter, non tenentur inter se conferre. Quod est singulare, & in expressò ita tenet Bald. in leg. Si emancipati, Cod. de Collationib. 2. column. in fin. & ibi Paul. 2. column. num. 3. Alexand. 3. column. versic. Per prædict. Jas. 8. column. num. 32. & alii Moderni, licèt Salyc. valdè dubitet, & relinquat cogitandum.

8. Undecimò infero, quod si filius vel filia renuntiavit successioni patris vel matris cum juramento; licèt ex hoc reputetur extraneus, & sibi non debeatur Legitima, nec possit dicere testamentum nullum, nec agere querela, per text. in cap. Quamvis pactum, de Pactis in 6. & argumento text. in leg. 1. §. Si filius, ff. de Suis & legit. hæred. textus in leg. Gallus, per tot. legem, ff. de Liber. & posthum. text. in leg. Posthumorum, ff. de Injust. rupt. text. in leg. Cum queritur, Cod. de Inoffic. testam. & tenet Bartol. in leg. 1. §. Qui habebat, ff. de Bonor. possess. contra tabul. 2. column. num. 6. Bald. in leg. Filio præterito, ff. de Injust. rupt. fin. column. Paul. de Castr. in leg. Qui superstitis, ff. de Acquir. hæred. 2. col. Cuman. in leg. Si filius qui in potestate, ff. de Liber. & posthum. 9. col. num. 18. & ibi Jason. 2. col. num. 10. tamen si à patre vel matre instituantur (quod potest fieri,) & filius vel filia tunc licèt & absque perjurio & relaxatione capiat, ut tenet Bald. in leg. Pactum, Cod. de Collat. 2. col. 3. quæst. & ibi DD. Idem Bald. in leg. final. Cod. de Pactis, 4. col. & ibi Moderni. Joan. de Imol. & Aretin. in leg. Qui superstitis, ff. de Acquir. hæred. Dominic. in dict. cap. Quamvis pactum, final. col. & ibi Georg. Natan, 4. col. Roman. in leg. Stipulatio hoc modo concepta, ff. de Verbor. oblig. 8. col. & ibi alii DD. Imò tali casu efficiatur suus, & habeat jura suitatis & transmissionis quæ amiserat per renuntiationem, ac si nunquam renuntiasset, ut probat textus singularis & unicus in leg. Qui in aliena, §. Interdum, ff. de Acquirend. hæred. ubi habetur, quod licèt nepos natus ex filio exhæredato non sit suus avo, quia pater eum præcedit in gradu;

du; tamen si instituat ab ipso avo, statim efficiatur suus & necessarius, & ad hoc notant & commendat ibi Bart. & reputat mirabilem Bald. & dicit unicum Paul. de Castr. & alii DD. dicit etiam unicum Socin. in leg. Si filius qui patri, ff. de Vulgar. & pupil. 10. col. Tamen dico & teneo, quod isto casu tenetur filius vel filia conferre, quia concurrunt necessaria, & requisita in materia collationis, cum sint filii, & jam eis debeatur Legitima ex testamento & institutione patris vel matris: Item etiam quia per institutionem tollitur illa privatio successionis, & reducitur filius vel filia ad pristinum jus quod habebat: Item quia non debet esse melioris conditionis quàm alii filii vel nepotes: Ergo teneatur conferre. Ex quo etiam subinfero, quod si caveatur lege vel statuto, quòd stantibus masculis filia non succedat; si instituat à patre vel matre, tenetur conferre: licèt contrarium teneat Alex. in leg. Si emancipati, 3. col. num. 8. prædicta motiva non allegando, nec considerando: quem ibi reprobatur Jas. 8. col. num. 33. & melius 9. col. versic. Circa verò illationem. & in hoc residet ibi Curt. 9. col. num. 32.

Duodecimò infero, quod filii naturales tantùm non conferunt, cum eis non debeatur Legitima; modò succedant soli inter se, modò cum aliis legitimis, per dictam regulam. 9. Decimotertio & notabiliter infero, & quæro, an inter ascendentes succedentes descendentibus habeat locum collatio? Et videtur quòd sic: Primò, quia sicut descendentes succedunt ascendentibus, ita è converso ascendentes succedunt descendentibus, & eis debetur Legitima: text. est in leg. Pater filium, ff. de Inoffic. testam. text. in leg. Nam & si parentibus, eod. tit. text. in leg. fin. Cod. Ad Tertillian. text. in leg. fin. Cod. Commun. de succes. text. in Authent. Defuncto, Cod. Ad Tertillian. text. in Authent. de Hæred. ab intest. venien. cap. Si igitur defunctus, collat. 9. Secundò, quia sicut filii, vel descendentes præteriti, vel injustè exhæredati possunt rumpere testamenta ascendentium, ita è converso ascendentes possunt rumpere testamenta filiorum & descendentium: text. est in dict. l. Eam & si parentibus, ff. de Inoffic. testam. text. in leg. Filiam & in leg. Cum filium, Cod. eod. tit. Tertio, quia sicut de Legitima filiorum & descendentium tollitur ipso jure gravamen, ut in leg. Quoniam in prioribus, Cod. de Inoffic. testam. ita de Legitima ascendentium: ita Glossa notabilis & ordinaria in leg. Pantoni. ff. Si à parent. quis fuer. manumis; Glos. in Authent. de Hæred. & Falcid. cap. Si verò expressim. collat. 1. & ibi Bart. & DD. & latè Roder. Suar. in repetition. dict. leg. Quoniam in Ant. Gomez. ad Leg. Tauri.

prioribus, fol. 44. 16. ampliatione. Quarto, quia sicut alimenta debentur filiis & descendentibus, ita è converso alimenta debentur ascendentibus: text. est in l. Si quis à liberis, §. Parentis, ff. de liber. agnosc. text. in leg. Non quemadmodum, eod. tit. text. in Authent. Licet. in fin. Cod. de Natur. liber. Quinto, quia dispositio simpliciter loquens, & aliquid disponens circa filios vel descendentes legitimos, vel naturales tantùm, extenditur ut habeat locum in ipsis ascendentibus: text. est singularis & valdè notabilis in Authent. Quib. mod. natur. effie. sui. cap. In quibus, 13. collat. 7. Sextò facit hodiè lex 6. supra in legib. Taur. quæ simpliciter & absolute vult, quòd eodem modo quo descendentes succedunt ascendentibus, ita & eodem modo ascendentes succedant descendentibus: Sed inter descendentes habet locum collatio: ergo etiam inter ascendentes. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet solus Angel. de Perus. in leg. Ut liberis, in fin. Cod. de Collation.

Sed his non obstantibus, ego tedeo contrariam sententiam, imò quod inter ascendentes non habeat locum collatio. Unde, si pater & mater succedant filio, & pariter concurrant vel his deficientibus, succedant alii ascendentes qui sint in æquali gradu, & unus eorum habeat aliquam donationem à filio, vel filia, vel descendente; non tenetur conferre ab intestato, nec ex testamento: Primò, quia solum inter descendentes, quibus debetur Legitima, est inventa collatio, & non inter alios: ita aperte probant jura antiqua & nova de ista materia loquentia. Confirmatur, quia collatio est de genere prohibitorum, ubi nunquam tenetur quis conferre nisi in lege caveatur: text. est in leg. Illam, Cod. de Collat. ibi: Eo quod nulla constitutio super hujusmodi collatione posita esset, & ibi notant & commendat Fulgos. 1. column. & Jas. 2. col. num. 5.

Secundò, & quidem subtiliter, quia de jure antiquo Digestor. & Codic. quo fuit inventa collatio, pater solus succedebat filio, si erat suus & in potestate, exclusa matre, & omnibus aliis, non jure hæreditario, sed jure patrio: quia occupabat omnia bona ejus jure peculii, modò essent bona profectitia, modò adventitia; quia omnia quærebantur patri ratione patriæ potestatis, modò essent bona castrensia, vel quasi, modò profectitia, vel adventitia: textus est formalis & expressus in leg. 2. ff. de Castrensi pecul. & ibi Glossa ordinaria, & communiter antiqui DD. Si verò filius erat emancipatus, similiter pater ei succedebat in omnibus bonis, exclusa matre & aliis personis, si contracta fiducia eum emanciparet; si verò non emanciparet contracta fi-